



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Casus I. De homicidio innocenti imputato, & damnis inde ortis  
resarciendis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**



# CASUS I.

## De homicidio innocenti imputato, & damnis inde ortis resarciendis.

**T**itius injustè occidit Cajum, cujus homicidium imputatur sempronio innocenti, qui proin comprehensus, & in carcerem coniectus, non solum ipse multum detrimenti subire debet, sed etiam damna temporalia ex delicto aliis subsequuta resarcire cogitur etiam mortis poenâ mulctandus.

*QUÆR. I. An, & quid Titius restituere debeat Cajo pro ipso homicidio, seu vita ablata?*

*QUÆR. II. An & qualia damna teneatur Titius resarcire Cajo in bonis fortuna ex homicidio eidem emergentia?*

*QUÆR. III. Quibus personis consanguineis ea restitutio facienda sit?*

*QUÆR. IV. An Titius obligetur aliquid restituere Creditoribus occisi Caji, si propterea carere debeant debiti solutione, ad quam illi spem habebant, si Caju debitor non fuisset interfectus?*

*QUÆR. V. An titius homicida teneatur innocenti sempronio ea damnare parare, quæ ipsi ea de causa obvenère?*

R. P. Leonardelli Soc. Jesu.

A

QUÆR. VI.

QUÆR. VI. An ille, qui novit Auctorem occulti homicidii innocenti falsò impu-  
tari, possit, aut teneatur illud manifestare ad liberandum innocentem?



**A**D I. Q. triplicem in-  
venio sententiam.  
Prima aliquorum apud Vasq. de rest. c. 2.  
§. 3. dub. 6. affirmat,  
occisorem ita restitu-  
ere debere, ut vitam pro vita abla-  
ta exponat, dimicando v. g. in ju-  
sto bello, vel se justæ pœnæ obii-  
ciendo, & siquidem pœnam talio-  
nis pati cogatur, ad nihil aliud eum  
teneri, nisi ad eam pœnam patienter  
subeundam. Verùm hæc sen-  
tentia ab omnibus aliis rejicitur te-  
ste Lug. D. 11. S. 1. & meritò, quia  
talis restitutio parùm vel nihil pro-  
dest defunctò, nec quidquam ex eo  
lucratur, quòd occisor hoc modo  
vitam suam amittat.

Secunda sententia satis probabi-  
liter censet, damnum corporis seu  
vitæ & membrorum pecuniã vel in  
aliquo alio, v. g. bonis spiritualibus  
compensandum esse. Ita Molina  
tr. 3. D. 84. Azor l. 5. c. 3. q. 4.  
Scotus in 4. d. 15. q. 3. Sotus,  
Sylv. Cajet. Armilla, Aragon.  
Lopez, Cordub. aliique apud  
Sanch. n. 6. Rationem dant. 1.  
Quia absurdum, atque indignum  
est, eum, qui bonum, vel alium  
alienum occidit, teneri ad restitu-  
tionem pro bove, vel asino occiso,  
& non teneri pro homine injustè  
occiso, cum damnum corporis sit  
verè damnum injustè illatum, id-  
que majus, quàm quodcumque a-

liud damnum bonorum externo-  
rum, quod in foro conscientie jure  
naturali refarciri debet. Confirm.  
quia absurdum pariter est, dari ob-  
ligationem pro minori injuria, &  
non dari pro majore, qualis est occi-  
sio hominis injusta.

2. Quia licet bona corporis ex  
genere suo pretiosiora sint, quàm  
bona externa, & honoris & famæ,  
nihilominus tantùm addi potest de  
bonis inferioris Ordinis, ut pru-  
dentis arbitrio ad æqualitatem  
compensetur damnum in bonis su-  
perioris ordinis injustè illatum.

3. Qui per injuriam amisit e-  
quum ab alio occisum debet ex ju-  
sticia recuperare pretium equi, &  
tamen non ideò habet suum equum:  
ergo qui injustè amisit membrum,  
poterit ex justitia petere pecuniam,  
licet non ideò habeat suum mem-  
brum.

Tertia sententia, eaque proba-  
bilior, negat obligationem quid-  
quam in conscientia restituendi pro  
vita, membro, aut cicatrice ho-  
minis liberi, (nam pro occisione  
hominis servi absque dubio resti-  
tuendum est domino, quantum  
servus occisus valebat) quam sen-  
tentiam tuentur. Lug. l. 6. Less.  
l. 2. c. 9. dubit. 23. Vasq. in moral.  
l. 6. Novar. c. 15. n. 22. Petr.  
Navar. l. 4. c. 1. n. 80. Laym. l. 3.  
tr. 3. n. 3. c. 6. Panormit. Go-  
mez

mez Covar. Ostiens. Ledesm. Haun. Ills. aliique RR. communiter. Prob. ex leg. ultim. ff. de his, qui effuderunt &c. ubi post enumerata damna resarcienda subditur: *Cicatricum autem, aut deformatis nulla fit æstimatione, quia liberum corpus nullam recipit æstimationem.* Quibus clarè indicatur, nihil pro his deberi, eò, quòd natura sua sint supra omne pretium, adeoque bona non venalia, sed incomparabilia & immutabilia, respectu quorum nequit restitutio locum habere.

2. P. Si pro vita, vel membro ablato præstanda est satisfactio, tunc non cessaret ea obligatio, etiamsi occisor ad pœnam capitalem damnaretur, sicut non cessat in fure ob furta ad mortem condemnato, qui proin, si potest, debet restituere iis, quos furto læsit. Sed hoc est contra omnes, teste Lug. etiam contra AA. contrariæ sententiæ, & contra usum omnium hominum, & ut ait Less. contra praxim omnium tribunalium: Accedit, quod si occisor compensare teneretur damnum vitæ, tenerentur etiam ejus hæredes, utpote qui succedunt in ejus obligationes, & debita Justitiæ, sicut in alia jura; hoc autem est contra scotum, alios que DD. sententiæ oppositæ; ergo.

3. P. quia non potest statui, nec determinari, quantum pro vita restitui debeat, quia cum hæc æstimabilior sit quibuscumque thesauris, nunquam tantum pro illa resti-

tui potest, ut non plus esset restituendum, aut exigi possit, si enim Vir prudens dixerit mille deberi pro vita, cur non duo millia, vel tria &c. præsertim si homicida opibus abundet? atque adeò nunquam poterit ab arbitris tantum taxari, quin dici possit amplius deberi. Nèc refert, quòd læsus pluris fortè faceret centum, aut mille aureos, quàm membrum amissum; nam Justitia non intendit æqualitatem pro damno secundum æstimationem læsi, sed ut id habeat, quod est ablatum, vel in se, vel in æquivalenti, hoc est, in pretio, quò id comparari possit aut commutari: ergo si non est comparabile, nec æstimabile, nec quoad totum nec quidem quoad partem, neque in se nec in æquivalenti restitui potest, neque haberi æqualitas perfecta à Justitia commutativa intenta, seu quoad totum, nec imperfecta quoad partem.

4. P. Quia nemo obligatur damnum resarcire ex bonis diversi ordinis, sed ejusdem duntaxat, quia hæc sola sunt inter se commensurabilia, & comparabilia: ergo quando non potest fieri commensuratio, & comparatio, non est obligatio Justitiæ commutativæ. ant. patet inde, quia, qui aliàs læsisset in vita, deberet restituere in bonis spiritualibus, si pecunia non posset, vel qui injustè læsit in bonis spiritualibus, impediendo alium v. g. ab ingressu Religionis vel à statu perfectioris vitæ, pecuniâ id dam-

num compensare deberet, quando aliter restituere non posset; hoc autem nemo admittit, teste Lug. estque contra sensum omnium hominum, neque moribus gentium est receptum, nec ullo modo necessarium, ut passim tradunt DD. apud Less. l. c. Notat tamen hic Ills. subinde in solatium læsi, vel in vindictam criminis à Judice imponi lædenti obligationem alicujus multæ pecuniariæ per modum pœnæ à lege jam statutæ, vel à Judice statuendæ, quæ tamen ante sententiam Judicis indebita est. Similiter licet bonum spirituale non possit esse pretium rei temporalis, utpote diversi ordinis, adeoque non debeat damnum ex Justitia resarciri, in foro tamen interno valde conveniens, ac consultum est, ut Confessarius pro satisfactione sacramentali imponat homicidæ preces Eleemosynas & sacrificia animæ occisi applicanda, ut notat Laym. Less. Mol. & alii. Unde.

Ad argumentum in contrarium ab adversariis allata R.

Ad 1. respondet Epar. absurdum id esse non intelligenti rerum naturas; paritas enim utut Asino imposita, non benè currit. Nam Asinus, & bos sunt bona fortunæ, suntque æstimabilia, & novo pretio comparabilia, non item vita hominis, ut patet ex dictis. Nec refert, quòd damnum injustè datum sit majus, quando illud irreparabile & inæstimabile est, aut major sit injuria, quando jus per in-

juriam majorem læsum reparabile non est, aliàs qui injustè est causa damnationis alterius, teneretur pecunias restituere hæredibus ad compensandam eam injuriam, cum injuria sit longè gravior, quàm sit, si fuisset læsus in pecuniis, vel fama, hoc autem est contra omnium sensum, ipsamque rationem. Unde patet etiam responso ad Confirmationem. Scilicet id concedi, si jus per majorem injuriam læsum sit reparabile, secus, negari.

Ad 2. R. n. a. ratio negandi patet ex dictis, nam vita & membra hominis liberi sunt incompenabilia, adeoque per ejusmodi restitutionem nequit obtineri ulla perfecta & arithmetica æqualitas cum ulla parte debiti, quod saltem exigit Justitia commutativa, si totum obtineri nequit. ant. prob. inde, quia non potest dari aliquid pro iis sufficiens, ut injuriam passus habeat aliquo modo id, quod debebat habere, nam bonum, quod redditur nec in se, nec in æquivalente quoad ullam partem est illud bonum, quod amissum est, ut enim esset in æquivalente quoad aliquam partem, deberet per rem restitutam iterum comparari posse res ablata, aut saltem aliqua ejus pars, atqui nec oculus, nec aliqua ejus pars comparari potest per ulla pecunias, aut per ulla res etiam spirituales, quamvis digniores, aliàs, qui pro digito ablato converteret ad fidem hominem infidelem, cujus digitum abscidit, compensasset su-

superabundanter & secundum leges Justitiæ commutativæ. Deum si ea obligatio esset de jure naturæ, deberet ex natura rei, præscindendo ab arbitrio prudentum, aliquod determinatè esse debitum, ut notat Valq. n. 20. adeoque læsus nolens recurrere ad arbitrium prudentum, posset id totum petere, quod in conscientia sibi debetur.

Ad 3. R. dist. ant. & tamen non habet suum equum formaliter, concedo, non habet æquivalenter, nego à &c. nam talis potest illo pretio comparare alium equum similem, non autem potest comparare aliud membrum; pecunia enim licet sit æquivalenter omnia alia bona fortunæ, non tamen est æquivalenter membra, & vita, & idcirco accepta pecunia, nullo modo adhuc habet suum membrum.

Dices, etiamsi non possit obtineri tota æqualitas, Justitia tamen vult poni tantum, quantum poni potest. Ergò.

R. Dist. a. si per id, quod ponitur, attingatur æqualitas saltem secundum partem c. si non ita saltem attingatur, n. nullum autem bonum diversi generis est pars aliquota boni alterius generis, aut æqualitatis, quam respicit formaliter Justitia commutativa, & idcirco non obligat hæc ad quidquam ponendum ex bono alterius generis.

2 Ad secundum R. cum communi DD. Titium ex Justitia resarcire debere omnia damna realia, & com-

penabilia ex homicidio provenientia, damnum scilicet emergens, & lucrum cessans: Vnde tenetur solvere necessarias expensas, factas in curatione occisi ante mortem, v. g. ratione Chirurgorum, medicamentorum &c. utpote quorum ipse efficax causa fuit, deductis tamen iis, quæ ipse læsus si vulneratus, aut occisus non fuisset, insumpturus erat in suo victu Ordinario. Tenetur insuper restituere non quidem quantum ipse occisus lucraturus erat, sed quantum spes illa lucri valebat, si quæstum officio aliquo, vel artificio faciebat, detractis rursus iis, quæ ipse aliàs expendere debuisset, utpote quæ teste Less. l. c. non possunt in lucris censi ad hæredes pervenientibus, v. g. spes lucri æstimatur mille fl. id, quod consumpturus erat, æstimatur 500. fl. supersunt tantum 500. restituendi, quòd benè notandum est, ut monet cit. Author. Præterea considerandum est, quanto tempore occisus vivere moraliter potuisset, quantoque tempore hæredes ex parte sua emolumentum illud à defuncto capere potuissent; indeque computationem faciendam esse.

Sumptus tamen funebres, seu expensas pro funere occisi factas juxta personæ qualitatem & conditionem non tenetur homicida compensare, ut ex communi tenent Molina tr. 3. D. 83. Lugo D. 11. s. 2. Less. l. c. dub. 24. Laym. l. 3. tr. 3. p. 3. c. 6. Azor, Sanch.

& alii, contra Navarrum in *Manu-  
al. c. 15. n. 22.* Ratio est, quia  
homicida solum fuit causa, ut illæ  
expensæ citius fierent, quandoqui-  
dem ille aliquando erat moriturus,  
& expensæ tunc faciendæ fuissent;  
Unde ex hac parte nihil damni illa-  
tum, nisi fortè occasione necis il-  
latæ in loco v.g. alieno, vel extra  
patriam majores fieri debuissent,  
vel nisi ex eo, quod sumptus ci-  
tius fieri debuerint, & defunctus  
interim aliquid lucri facere potu-  
isset, sed hoc sub lucro cessante,  
vel damno emergente comprehen-  
ditur.

Quæres hinc an quando duo se  
mutuo provocant, & unus alte-  
rum occidit, teneatur occisor ad al-  
iquid restituendum occiso ratione  
damnorum ex morte illi evenien-  
tium.

R. Si duo sponte se se mutuo  
provocant, neutrum teneri ad da-  
mna refarcienda ex morte, vel  
mutilatione alterius secuta. Ra-  
tio est, quia hoc ipso, quod se  
mutuo ita provocent, faciunt sibi  
mutuo potestatem contra se agen-  
di, ceduntque jure suo.

Ad 3. Q. quibus personis con-  
sanguineis hæc restitutio faciendæ  
sit, in diversas AA. abeunt senten-  
tias, eam faciendam esse omnibus,  
qui ob patratum homicidium, vel  
mutilationem damnum aliquod vel  
lucrum cessans ea occasione passi  
sunt, affirmant Panorm. Navar.  
Andrian. Rosell. & alii, eò potissi-  
mum argumentò moti, quod is,

qui per vim, vel fraudem impedit  
volentem mihi legatum relinquere,  
vel aliud beneficium conferre, te-  
neatur ex Justitia illud totum dam-  
num mihi compensare: ergò cum  
homicida per violentam occisio-  
nem injustam impediatur, ne alii ha-  
beant, quod ex debito, vel libe-  
ralitate occisi habituri erant, de-  
bet jis omnibus ex Justitia damnum  
compensare, quod argumentum  
magni esse ponderis ait Vasq. in  
*morat. de rest. c. 2. §. 3. dub. 7.* Alii  
dicunt solum debere restitui con-  
junctis intrà tertium gradum, ut  
insinuat Diana *tom. 1. tr. 6. R. 22.*  
Alii cum Sanch. *c. 4. dub. 3. & 4.*  
censent restituendum esse filiis, u-  
xori, & parentibus absolutè, cæ-  
teris autem tunc solum, quando  
occisor prævidit damnum inde se-  
cuturum, sive si sint Consanguinei,  
sive amici. Alii denique solis pa-  
rentibus, filiis, & uxori id omne  
restituendum arbitrantur, quod ob  
injustam occisionem perdidit, sive  
ex alimentis, quæ ab occiso  
suppeditabantur, sive ex lucro,  
quod ab ipso prudenter sperabant,  
quantum scilicet valebat spes illa  
attentis circumstantiis, & pericu-  
lis, quibus erat exposita. Ita Mo-  
lina *tr. 3. D. 83. n. 6.* Less. *l. 2. c. 9.*  
*dub. 26.* Sotus *l. 4. de Just. q. 6.*  
Salon. Ledesm. Cordub. Lopez a-  
liique apud Sanch. *c. 4. dub. 3. n. 7.*  
cum hac ultima sententia.

R. ad Q. 3. Titium probabilius  
solis filiis Caij, uxori, & parenti-  
bus indigentibus prædictam restitui-  
tionem

tionem facere debere, non item aliis confanguineis, ac cognatis, qui aliquid damni ea occasione subiere, saltem si absque damni prævisione, & animo eis nocendi Cajum occiderit, quam sententiam cum hac limitatione veriorum dicit etiam Lugo D. II. S. 4. n. 77. Prior pars patet inde, quia filius debet pater alimenta, iisque jus competit succedendi in bona paterna & in jura defuncti, Uxor quoque per contractum matrimoniale jus acquisivit participandi de bonis mariti, eamque maritus sustentare tenetur, uti & parentes, quibus, præsertim si egeant, alimenta suppeditare obligatur tum jure naturali, tum humano ut patet ex *l. si quis à liberis in prin. ff. de liber. agnos. l. ult. §. ipsum autem C. de bonis, quæ lib. l. filia tua, C. de patr. potest. &c.* Præterea ob arctissimam conjunctionem, quam inter se habent, pater & filius censentur una persona, uti & maritus, & uxor: unde qui patrem occidit, liberis, & uxori damnum infert, eosque in re sua lædere censetur. Posterior pars probatur inde, quia seclusis parentibus, filiis, & uxore, qui ratione strictissimi nexûs videntur unum facere cum persona occisa, ut modò dictum est, atque idcirco occisio per se, & proximè connectitur cum eorum nocumento, aliorum damna, quos interfectus ex sua liberalitate sustentabat, aut alia beneficia conferebat non habent per se connexionem cum vita illius in ratione debiti, sicut habent damna priorum, sed

tantum per accidens, & remotè connectuntur, nec mors occiso illata fuit ex intentione contraveniendi juri, quod ejusmodi homines habent ad accipiendum id, quod sibi quivis ex liberalitate conferre voluerit, quasi homicida intendit id impedire, sed duntaxat per accidens est secutum, non secus, ac si mors alia ex causa ei eveniret: atque adeò ad id præcavendum non est ex justitia obligandus homicida; non enim jus habes obligans me ex justitia, ut ego abstineam in meis operationibus ab iis omnibus, quæ remotè, & per accidens possunt tibi nocumentum afferre, sed satis est, si obliges me, ne ex industria illud procurem & intendam, & ne ea ponam, quæ per se, & proximè ad tuum nocumentum ordinantur, aliàs gravissimum onus aliis imponeretur, quod non probatur. Quod

Conf. nam, si argumentum oppositæ sententiæ supra relatæ, cui plurimum tribuit Vasque l. c. urget, sequeretur, quòd occisor deberet etiam restituere amicis occisi quid quid ab ejus liberalitate, vel sponte, vel ipsis petentibus accipere sperabant, vel si frequenter eos invitabat ad prandium vel cænam, vel si pro eis intercedebat apud Judicem in rebus occurrentibus, vel si famuli ultra justum stipendium sperabant posterum aliquam promotionem &c. Ad quæ tamen restituenda in nullo adhuc mentem venit obligandum esse homicidam ut ait Lugo teste



l. c. neque id affirmant adversarii teste Molina l. c. Unde, licet sententia opposita ob allatum argumentum speculativè optimè defendi posset, ut loquitur cit. Lug. in ordinè ad praxim tamen & mores inutilis est, & contra praxim omnium; tam Confessariorum, quàm pœnitentium: unde patet responsio ad fundamentum potissimum contrariæ sententiæ, quod non benè universaliter concludere fusè probat cit. Author & Less. l. c. tunc tantùm procedere, quando vis inferitur animo & intentione nocendi.

5 Ad 4. Q. de Creditoribus injustè interfecti affirmativam sententiam amplectuntur Molina l. c. n. 8. Turrianus dub. 3. n. 9. Laym. l. 3. tr. 3. p. 3. c. 6. & alii obligantes homicidam ad compensandum Creditoribus id, quod ab occiso debitore sibi debebatur, & ob injustam ejus mortem non recipiunt, alioquin recepturi, si debitor interfectus non fuisset. Rationem reddunt, quia occisus debitor arctiore obligatione justitiæ tenebatur erga Creditores, quàm erga filios, uxorem, & parentes, nam ad hos non plus spectat de bonis occisi, quàm quod remanet deducto integrè toto are alieno, & satisfactione Creditoribus præstita: ergo si occisor tenetur restituere filiis, uxori & parenti pro damno emolumentum, à fortiori tenebitur Creditoribus de damno, quod ea occasione sunt passi. Nec refert, in-

quit, Molina l. c. si quis dicat, damnum hoc Creditorum non fuisse intentum ab homicida, sed per accidens, & præter ipsius intentionem esse secutum; nam similiter damnum Uxoribus, & filiorum fuit secutum per accidens, & præter intentionem homicidæ, & nihilominus tenetur illud resarcire, quia connexum erat cum morte injusta interfecti, & contrarium hujus damni erat quotamodo debitum ab interfecto: atqui & damnum Creditorum erat similiter connexum cum morte injusta interfecti, & contrarium ejus damni magis erat illis debitum: ergo. His non obstantibus,

Communis DD. sententia hodie contrarium docet, teste eodem Molina adversario, cum qua Dicendum, non teneri homicidam ad aliquam satisfactionem Creditoribus præstandam, si ob injustam debitoris mortem solutione carere debeant, ad quam extra hunc casum spem habebant. Ita communis hodie DD. sententia cum Lug. D. II. l. 4. Less. l. c. dub. 26. Soto, Salon. Lopez &c. Probatur 1. quia Creditores non habent jus in debitorem, nisi quatenus & quousque se extendunt bona, quæ actu possidet, vel quæ verisimiliter erat habiturus si supervixisset: ergo cum homicida hæredibus occisi, in quos defuncti obligatio transfertur, restituere debeat, ac restituat omnia ea, quæ ipse defunctus putabatur lucraturus, non facit injuriam Creditoribus

bus, utpote qui solutionem petere possunt ab hæredibus occisi.

Prob.2. Creditor non est ita conjunctus debitori ut damnum, quod huic fit, debeat censi fieri Creditori; nam damnum illud per accidens duntaxat sequitur, nec actio illa occisionis ex natura sua, vel ut plurimum, damnosa est creditoribus, nam rarissimè continget, ut illi damnum patiantur ea de causa, ut advertit, & fatetur Molina adversarius, eò quòd occisus vel Creditores non habeat, vel relinquat bona sufficientia ad expungenda debita, vel quia non plus satisfaceret, si viveret, quàm satisfiat de bonis, quæ relinquit. Ex quibus bene arguit Lugo *l. c.* hoc ipso, quòd id rarissimè contingat, valde per accidens esse, quòd tale Creditorum damnum ex debitoris occisione sequatur, atque adeò minorem obligationem occisoris ad damna Creditorum compensanda, quàm damna consanguineòrum, amicorum, & familiarium, utpote quæ magis per se, & frequentius ex tali occisione oriuntur, & tamen ipse Molina non obligat homicidam ad compensanda damna Consanguineorum, amicorum, & familiarium: ergo. Accedit, quòd ea obligatio apud Less. *l. c.* non videatur esse usu recepta. Unde

Ad rationem in contrarium adductam R. obligationem occisoris ad restituendum non oriri ex obli-  
R. P. Leonardelli Soc. J. es.

gatione occisi erga filios & uxorem, cum occisus nullam obligationem justitiæ habuerit ad procurandum lucrum, & emolumentum filiis, & uxori, sed solùm ex lege pietatis tenebatur, adeòque ea occisoris obligatio restituendi filiis, & uxori inde oritur, quòd filii censeantur una persona cum patre, & damnum passi in bonis propriis, cuius damni causa fuit occisor vel illud ex industria procurando vel apponendo medium per se ordinatum ad illud injustè inferendum, atque adeò tenetur occisor uxori & liberis ideò, quia videlicet horum damnum per se connectitur cum illa occisione, non item damnum creditorum, utpote quod non nisi rarissimè & valde per accidens connexionem habet cum occisione debitoris, ut ipsimet adversarii fatentur; neque creditor est ita conjunctus debitori, ut damnum, quod huic fit, censeatur fieri creditori, ut supra insinuatum est. Limitanda tamen est hæc doctrina, quòd scilicet non teneatur occisor damnum creditorum compensare, nisi fortè cum damni prævisione, & intentione eis nocendi debitorem occiderit.

Ad 5. Q. an Titius homicida teneatur innocenti Sempronio ea damna reparare, quæ ipse ea de causa pati debet? 6

R. Sub disjunctione; vel enim Titius occidit Cajum non ea intentione & animo, ut crimen Sempronio  
B nio

nio imputetur, & idamnum inde patiat, nec usus est ense Sempronii, aut aliqua alia re ad illum spectante, ex qua oriretur indicium contra Sempronium, & idcirco illi homicidium imputaretur? vel Cajum occidit intendendo, ut Sempronio innocenti homicidium imputaretur, atque advertendo ei damnum eventurum, aut ense, vel alia re Sempronii in eo homicidio usus est eo invito, ratione cujus illi innocenti homicidium imputaretur, & damnum pateretur? si hoc posterius contingat, tenetur Titius Sempronio reparare omnia ea damna, quæ propterea ille subire debet, quia tunc eorum damnorum causa injusta extitit, ea intendendo, & re Sempronii, eo invito, utendo ad Cajum interficiendum, ut notat Molina cum aliis *l. c. D. 88*. Si vero prius eveniat, non obligatur Titius ad damna refarcienda, quæ ipse Sempronius ea de causa, sive ratione lucri cessantis, & damni emergentis, sive ratione aliarum molestiarum, passus est. Ita Molina *l. c. Less. l. 2, c. 9. dubit. 16*. Laym. *l. c. cap. 6. n. 3*, aliique. Ratio est, 1, quia Titius suo illo homicidio injusto non fuit Sempronio causa, quod homicidium illud ei imputaretur, & damna inde secuta pateretur, sed solummodo fuit illi occasio ejus imputationis, & damnorum inde emergentium: atqui qui alteri solum occasio est, quod ille ab aliis damnum patiat, sive cum peccato, sive sine peccato, non

non peccat contra justitiam, licet peccare possit contra charitatem non evitando occasionem: atque adeo neque ad restitutionem idcirco præstandam tenetur. 2. Quia ea damna Sempronio merè per accidens eveniunt ex facto Titii, (non enim occisio Titii erat directa via ad nocendum Sempronio) per se autem & directè proveniunt ex malitia accusatoris, aut testium: ergo Titio imputari non possunt. 3. Quia ea damna nec in se, nec in causa fuerunt volita, non in se, quia ignorabantur eventura, nec de iis cogitabatur; non in causa; quia effectus non censetur volitus in causa, nisi probabiliter, aut frequenter ex illa proveniat, qui enim rarò provenit, non censetur magis in illa causa contineri, quàm non contineri, sed potius minus, ut ait Less. *l. c.* Dixi supra non teneri Titium ad aliquid Sempronio restituendum ratione lucri cessantis, & damni emergentis &c. nam si Sempronius compellatur aliquid solvere ex iis, quæ juxta dicta in 1. Q. tenetur occisor in foro conscientie, & ante Judicis sententiam restituere occiso, v. g. expensas in Chirurgo & Medico factas, &c. obligatur tunc Titius ad eas Sempronio refundendas, utpote qui nihil debens solvit id, quæ Titius debebat, & restituere tenebatur, sicque solvendo Titium sublevavit eo onere, quod ipse ex justitia subire debebat, atque adeo tenetur Sempronio id refundere, quod

quod hic loco ipsius Titii expende-  
re coactus est, ut bene notat Moli-  
na *l. c.*

7 Ad 6. Q. An ille, qui novit au-  
ctorem occulti homicidii innocen-  
ti falso imputati, possit, aut tenea-  
tur illud manifestare ad liberandum  
innocentem? R. affirmativè cum  
Molina *tom. 5, tr. 4, D. 24, Lug, D.*  
*14, S. 7, Less. l. c. dubit. 9.* Navar.  
*c. inter verba n. 702.* & aliis, scilicet  
posse eum, cui delictum notum est  
(nisi fortè aliunde obligatione ser-  
vandi secreti teneatur) detegere  
auctorem criminis, & occultum  
homicidium manifestare, quantum  
præcisè satis est ad liberandum in-  
nocentem ab eo periculo, & detri-  
mento; imò eum ad id teneri te-  
statur Molina *l. c.* Et ratio est, quia  
præponderare apud ipsum debent  
potius fama, & bonum innocentis,

quàm nocentis & Rei, qui suò deli-  
ctò dignus est, ut id detrimenti sub-  
beat, nec illi tunc injuria idcirco  
irrogatur, cum nemo jus habeat  
tuendæ famæ cum tanto damno,  
quod indè alteri injustè obveniret:  
unde & Less. *l. c.* bene infert, læpè  
contingere, ut non solum possi-  
mus, sed etiam teneamur ex chari-  
tate alterius crimen manifestare,  
quando ex eo grave damnum pro-  
ximo imminet, sive temporale, sive  
spirituale, & damnum, quod ex  
manifestatione sequitur, tanti non  
est, ut ejus ratio præ altero haberi  
debeat. In posito tamen casu mo-  
nendus esset reus, seu homicida, ut  
sibi fugâ consulat, & in loco tuto se  
collocet, antequam delictum dete-  
gatur, quando id sufficeret ad in-  
nocentem à periculo li-  
berandum.

